

PHARMACOLOGICÆ
SEU
MANUDUCTIONIS
AD
Materiam MEDICAM
LIBER SECUNDUS.

De PHYTOLOGIA.



PHYTOLOGIA est pars illa Pharmacologiæ, quæ agit de Plantis.

Classes Phytologiæ sunt tres; viz. 1. Lithophytologia, quæ agit de Plantis substantiæ Lapideæ. 2. Botanologia, quæ enodat Herbas. 3. Dendrologia, quæ exhibet Arbores & Frutices.

Expeditis Libro Primo Fossilibus & Subterraneis, quibus jam gaudent Officinæ nostræ, ut pe-

dem promoveamus ad ea quæ supra terram proveniunt, instituti nostri postulat ratio.

Hic verò Animus non est Historiam proponere, quod operis foret immensi, sed solummodò Plantas Officinales in vulgari usu, novâ Methodo disponere, cum Tabulis, Notis Characteristicis, Nominibus synonymis, Usibus & Viribus, ut Materia Medica hætenus neglecta, & tenebris involuta, clariùs elucescat; & Tyronibus pulchrior & illustrior appareat. Qui plenam & prolixiorum rerum Historiam desiderat, adeat clarissimos & diligentissimos Scriptores, Carolum Clusium, Johannem Bauhinum, Bodæum Stapelium, Johannem Raium, &c.